

SCHEMATISMUS

VENERABILIS CLERI
DIOECESIS GRAECI RIT. CATH.

HAJDUDOROGENSIS

AD ANNUM DOMINI 1918.




Dr. Pappasóly István Kézirata
Osztály XIII.
Szám 2
Jel
Dátum
Hely

IN NYIREGYHÁZA, TYPIS ALEXII JÓBA.

PATRONUS DIOECESIS:
SANCTUS STEPHANUS

ARCHIDIACONUS ET PROTOMARTYR.



SUMMUS PONTIFEX:

SUA SANCTITAS

BENEDICTUS XV.

JESU CHRISTI VICARIUS,

JACOBUS DELLA CHIESA.

NATUS IN GENUA, DIE 21. NOVEMBRIS 1854., ORDINATUS
IN PRESBYTERUM DIE 21. SEPTEMBRIS 1878., EPISCOPUS
CONSECRATUS 22-A DECEMBRIS 1907, CARDINALIS
CREATUS DIE 25. MAII 1914., IN SUCCESSOREM 259-UM
B. APOSTOLI PETRI ELECTUS DIE 4. SEPTEMBRIS 1914.
ET DIE 6. SEPTEMBRIS 1914. CORONATUS.

CATHOLICAM ECCLESIAM FELICITER GUBERNAT.

Könyv kiadásra 2008



0 0 5 0 6 8 4 7

GKHFK, Nyíregyház
50684-7



„PATRONA REGNI HUNGARIAE“,

cuius originale, a celeberrimo artifice nostro Ignatio quondam *Roskovics*
confectum, in Ecclesia parochiali Budapestinensi custoditur.



SUPREMUS PATRONUS:

SUA CAES. ET APOSTOLICA REGIA MAIESTAS

CAROLUS IV.

DEI GRATIA

IMPERATOR AUSTRIAE ETC.

ET

HUNGARIAE REX APOSTOLICUS.

GLORIOSE REGNAT

A DIE 21. NOVEMBRIS A. 1916.

CORONATUS BUDAPESTINI
DIE 30. DECEMB. 1916.

METROPOLITA :

EMINENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

DR. JOANNES CSERNOCH

S. R. E. TIT. S. EUSEBII DE URBE PRESBYTER CARDINALIS,

DEI MISERICORDIA ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPUS STRIGONIENSIS, INCLYTI REGNI HUN-
GARIAE PRINCEPS PRIMAS, S. SEDIS APOSTOLICAE LEGA-
TUS NATUS, SUMMUS ET SECRETARIUS CANCELLARIUS,
S. C. ET R. A. MAIESTATIS ACTUALIS INTIMUS CONSILI-
ARIUS, INS. ORD. S. STEPHANI R. A. PRAELATUS AC
EQUES, ECCLESIASTICAE COMMISSIONIS PRAESES, IN-
CLYTI COMIT. STRIGONIENSIS PERPETUUS AC SUPREMUS
COMES, SS. THEOLOGIAE DOCTOR ETC. ETC.

NUNTIUS APOSTOLICUS

APUD SACRAM CAESAREAM ET APOSTOLICAM
REGIAM MAIESTATEM:

EXCELLENTISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

THEODORUS E COMITIBUS VALFRÉ DI BONZO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS
TRAPEZUNTINUS ETC. ETC.



ORDINARIUS:

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOMINUS DOMINUS

STEPHANUS MIKLÓSY

MISERICORDIA DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPI-
SCOPUS HAJDUDOROGENSIS GRAECI RITUS CATHOLI-
CORUM, INS. ORDINIS FRANCISCI JOSEPHI COMMENDATOR.

NATUS DIE 22. AUGUSTI 1857. IN RÁKÓCZ, IN COMIT. ZEM-
PLÉN, PRESBYTER ORDINATUS 17. APRILIS 1884., PRIMUS
EPISCOPUS DIOECESANUS DIE 21. APRILIS A. 1913. CLE-
MENTISSIME DENOMINATUS, DIE 23. JUNII 1913. PRAECO-
NISATUS ET 5. OCTOBRIS 1913. IN HAJDUDOROG EPISCO-
PUS CONSECRATUS SIMULQUE INTHRONISATUS.
RESIDET IN NYIREGYHÁZA.

BREVIS NOTITIA HISTORICA DIOECESIS HAJDUDOROGENSIS.

Incolae Hungariae graeci ritus christiani ad XVII-i saeculi medium usque schismati erant addicti. In partibus Septemtrionem inter et Orientem regni degentes anno 1648., Transsilvani vero a. 1700. unionem cum S. Sede Romana iniverunt, sed in schismate perseverantium pars et hodie adhuc potior est habenda universo unitorum numero. Ex unitis ordinatam hierarchiam primitus Transsilvani sunt consecuti, in quorum gratiam Carolus III., Rex Hungariae a. 1715. Episcopatum Fogarasiensem fundaverat, quod et R. Pontifex Innocentius XIII. a. 1721. canonisavit. Erectio huius Episcopatus secundum verba canonisationis urgebatur eo, »quod gratia benedicente Domini nonnulla milia Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque, qui graecum ritum sequebantur, ad Sanctae Romanae Ecclesiae gremium advolavissent.« (Nicolaus Nilles, Symbolae. Vol. I. pag. 432.) Bulla Pontificia, citato correspondenter edicto, Episcopo Fogarasiensi consequenter iteratimque nomen »Eppus graeci ritus Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum« imponit.

Recensens vero fideles, praeter quattuor nominatas nationes, Bulla his verbis »aliorumque« mentionem facit etiam gentium aliarum, quae tunc in Transsilvaniae finibus graeco obtemperavere ritui et unionem acceptaverant. Iam vero vis enuntiationis huius nequaquam ad Saxones, qui lingua utebantur germanica et erant fautores Augustanae confessionis, relata esse potuerat. Certum ergo est, Bullam occulte quidem, absque omni dubio tamen graeci ritus Hungarorum et Siculo-Transsilvaniae meminisse.

Quinquaginta annis post, — erectionem Episcopatus Fo-

garasiensis excepti canonisatio Episcopatus Munkácsensis. Bulla canonisationis huius Eppatus a Pontifice Clemente XIV. a. 1771. edita iurisdictionem novi instituti hierarchici stabilivit: »in clerum et populum Ruthenorum *graeci ritus* uniti, aliosque, qui eosdem ritus et unionem sequuntur et degunt tam in civitate Munkácsensi, quam in aliis praedictae Dioecesis partibus.« (Ioannicius Basilovits, Brevis Notitia Fundationis Theodori Koriatovich, Cassoviae, 1804. Pars 4. Tomus II. pag. 201.) Itaque nec Episcopatus Munkácsensis exclusive pro Ruthenis est erectus, sed pro omnibus illis, qui in Eparchiae territorio graecum sequebantur ritum et unionem cum Sede Romana susceperant. In hocce vero territorio haud mediocri cum numero etiam Valachi Hungarique inveniebantur. Milites a Principe Stephano Bocskay a. 1605. in oppidis Hajdukonensibus colonisati maxima ex parte graeci ritus erant et hungari ac hi omnes Dioecesi Munkácsensi sunt adscripti. (Emlékkönyv a gör. kath. magyarok 1900. évi római zárandoklatáról. Budapest, 1901., pag. 74.) Protocolla porro, quae in Máriapócs infitio saeculi XVIII-i a duobus Canonicis Agriensibus de miraculosa S. Imaginis BMV. Ecclesiae Monasterialis lacrimatione sunt confecta, probant delegatos in scrutinio cum fidelibus graecis Máriapócsensibus horumque advicinatis, unice hungarica usus esse lingua. (Szabó Jenő: A görög katolikus magyarság utolsó kálváriautja. Budapest, 1913., pag. 368.) Ex dictis patet istos iam tunc temporis quoque fuisse Hungaros.

Litterae ergo foundationales Episcopatum Fogarasiensis Munkácsensisque demonstrant, iam tunc, quando Sancta Sedes et Rex Hungariae Apostolicus illos fundaverint, conditores nec minime intendisse, quominus in gratiam nationum valachicae et ruthenicae novam quandam constitutionem ecclesiasticam darent. E contrario universos regni graeco-catholicos populos illius temporis, absque omni respectu ad diversitatem linguarum, iurisdictioni novorum Episcopatum subiecerunt profecto ea ducti intentione, ut fideles suum cuique reddendo in caritate vivant.

Ast idealis haec et omnem nationalisticam characterem excludens dispositio decursu temporum paene totaliter est sublata. Memoratae duae Dioeceses namque, prouti et novi Episcopatus ex harum dissecatione erecti, paulatim nationalisticis Valachorum et Ruthenorum studiis propugnacula evasere. Stigma nationalitatis Dioecesibus graeco-catholicis regni Hungariae inuri — quamvis fortuito — promovebatur eo, quod digressive a Bullis foundationalibus ipsa S. Sedes Romana Dioecesium Munkácsensis, postea vero ac de hac excissae Eperjesiensis Antistites nomine »Episcopus graeci ritus Ruthenorum«, Fogarasiensis vero et ex hac serius excerptarum Dioecesium Episcopos nomine »Episcopus graeci ritus Rumenorum« in officiosis quoque documentis appellaverit. Nationalisticum nisum quasi compleverat a. 1853. erectio Archiepiscopatus Albaiuliensis-Fogarasiensis, quum S. Sedes Romana etiam ultimam exiguam Valachorum partem Dioecesi adhuc Munkácsensi incorporatam hinc eximuerit, pro unitis Valachis Metropoli a Primatia Strigoniensi independentem creaverit hancque iam nomine »Provincia graeco-catholica unita linguae rumenicae« canonisaverit. (N. Nilles, Symbolae, Vol. II., pag. 683.) Exinde invaluit usus, quod Sedes Apostolica in decretis quoque officiosis novissime iam »ritum ruthenum«, imo et »ritum rumenum« agnosceret, quamvis antea ritum populorum horum tantum nomine »*ritus graecus*« consueverit assignare.

Transitum a ritu graeco ad ruthenum rumenumque, in quantum conicere licet, etiam res politicae promoverunt. Tendencias nationalisticas eventus anni 1848. horumque consecutiones excitavere. Ad debellandum enim gentis hungaricae certamen pro defensione libertatis susceptum inimici gentis hungaricae nationalitates in regno hucusque vitam pacificam viventes ad actionem provocarunt. Cives Hungari secum ipsis discordes intestinis laborabant odiis. Cumque bellum hoc defensivum auxiliante Russia sanguine suffocatum esset, nationalitates ad seditionem incitatae expectabant, rogabant, expromi studebant et reapse acceperunt mercedes actionum

suarum praeprimis in foro ecclesiastico. Graeci schismatici Rumeni et Serviani seorsim, hi et illi extensis cum iuribus autonomis praeditum independentem Archiepiscopatum obtinuerunt. (C. I. IX. a. 1868.) Pro graeco-catholicis Valachis vero Gubernium Wiennense immediate S. Romanae Sedi subiectam Provinciam Albaituliensem-Fogarasiensem constituit. (C. I. XXXIX. a. 1868.) Etiam in tractibus ruthenicis putabant quidam illas vias persequi, per quas ad successus Valachorum et Servianorum similes pervenire possent, sed exspectationibus praecipue ea de causa destituti sunt, quod Dioeceses Munkácsensem Eperjesiensemque maximo cum numero graeco-catholici Hungari incolerent et in animis Sacerdotum harum Dioecesium hungarica cultura imbutorum conatus politici Adolphi Dobránszky nullam causaverint amicam resonantiam.

Omnes hae simul sumptae circumstantiae tamen talem situationem procreaverant, ut instituta gr. cath. ecclesiastica annis 50-mis et 60-mis saeculi XIX. pro tam secluso territorio haberentur, in quo alia lingua aliaque cultura, quam nationalistica, omni prorsus iure existentiae privaretur et ubi quisque pro Rutheno vel Valacho habendus, at se Hungarum scire illicitum sit.

Quae aggressiva nationalisticarum velleitatum in publicum prolatio excitavit illam graeco-catholicorum Hungarorum concertationem pro existentia defensivam, quae in exitu suo erectionem Dioecesis Hajdudorogensis produxerat.

Graeco-catholici natione ac lingua Hungari effectioem in foro ecclesiastico iurium suorum iam a temporibus Reginae Mariae Theresiae moliti sunt. Andreas Bacsinszky, secundus Ordinarius Munkácsensis, prius erat Archidiaconus Szabolcsensis et Parochus Hajdudorogensis. Ille ipse versiones carminum ecclesiasticorum in lingua hungarica confecit fidelibus suis Hungaris illasque praecipue ad festa maiora in usum quoque perduxit. Liturgiae S. Ioannis Chrysostomi prima et completa versio hungarica pariter nomini Andreae Bacsinszky venit adscribenda, nam illam Georgius Kritsfalussy, Professor

linguae hungaricae in Gymnasio Ungvarensi a. 1795. conficiens, doni onomastici instar Praesuli tradidit. Versio haec non erat quidem typis commissa, in manuscripto tamen inter peripheriarum hungaricarum Clerum late divulgata est atque in liturgia vetero-slavica, praecipue in partibus ad cantum fidelium spectantibus usitata. (Emlékkönyv. Pag. 79.) Precum et canticorum liturgicorum versioni hungaricae, via ab Andrea Bacsinszky inchoata, progressive initio saec. XVIII. operam impenderunt Stephanus Lupes Curatus Timárensis et Michaël Krucsay prius Parochus in Gálszéc, postea in Sátoraljaiújhely, per annos 1804—1814. vero Canonicus Dioecesis Munkácsensis. Secundo saec. XVIII-i dimidio ad versiones operam contulerunt Antonius Csopey Canonicus Doec. Munkácsensis, Ioannes Vályi Curatus Karászensis, Iosephus Lukács Curatus in Abaujszántó ac Alexander Vaskovics Curatus Nyirtassensis. Omnes hae versiones pariter tantum in manuscriptis copiisque manualibus remanserunt, de manu in manum inter Curatos Cantoresque datae. Demptis minoribus ceteroquin plerumque anonyme lingua hungarica vulgatis precum canticorumque libris, primum in lingua hungarica graeci ritus precum et cantilenarum librum liturgico usui accomodatum Ignatius Roskovics, Parochus prius Hajduböszörményensis, dein Nyirpilisensis, postea Canonicus et Praepositus Maior Dioec. Munkácsensis a. 1868. edidit. (A gör. kath. magyarság utolsó kálváriautja, Pag. 435, 436.)

In gyro cleri populique gr. cath. videlicet plerique eam in opinionem discessere, proprietatem esse ac principium graeci ritus, quod in cultu divino semper lingua fidelium vulgaris, sit illa obsoleta vel viva, adhibeatur, ut fideles illam intelligere queant. Hanc sententiam propagavit Iosephus Papp-Szilágyi Episcopus gr. cath. Magno-Varadinensis quoque in libro a. 1862. edito, qui inscribitur: »Enchiridion Iuris Ecclesiae Orientalis,« cum diceret: »Proprium est Eccae Orientalis, ut in Sacris lingua nationali utatur. Sacra Sedes Apostolica, quae de cetero gravibus e rationibus linguae popularis usum in

mysteriorum celebratione eo ipso, quod mysteria sunt, non admittit, Orientalem Ecclesiam in suo relate ad propriam linguam ritualement permittit.» (Enchiridon. — Magno-Varadini, 1862., pag. 366. De lingua liturgica.)

Communis huius sententiae impulsu numerosissima ac procerrima gr. cath. Hungarorum Ecclesia, Hajdudorogensis quippe, in interesse liturgiae hungaricae et de erigendo gr. cath. Hungarorum Episcopatu in congregatione 2-a Maii a. 1863. habita litteras substravit deprecatorias Basilio Popovics Episcopo Munkácsensi, Suae Caesareae et Apostolicae Regiae Maiestati Francisco Iosepho I-o, qua supremo Ecclesiarum cath. Hungariae Patrono, porro Ioanni Card. Scitovszky Archiepiscopo Strigoniensi ac Principi-Primati, Supremo Aulae Regiae Hungaricae Cancellario, tandem ad Regni Comitiam, — ast ad has litteras petitionales ne ullum quidem advenit responsum.

Ingressum iter nihilominus unum effectum est adeptum, etsi haud desideratum. Ille quidem Episcopus Magno-Varadinensis Iosephus Papp-Szilágyi, qui in opere supracitato Ecclesiae Orientalis proprietatem, secundum quam in liturgia lingua utitur nationali, edixerat, cultum divinum in Ecclesia parochiali Makóensi antiquitus lingua hungarica exercitatum interdixit. Enatum inde scandalum prodiit in vulgus, ephemeridibus ad recriminationes ansam dedit, officiosae inquisitioni est demandatum et in Episcopum publicum evocavit odium, — sed simul gr. cath. Hungaros in stabilem coagmentavit consociationem. (Farkas Lajos: Egy nemzeti küzdelem története. Pag. 43.)

Quo ex interdicto enata est die 16-a Apr. a. 1868. Commissio Executiva Stabilis gr. cath. Hungarorum Hajdudorogensis. Huic organismo vitam dedit imprimis Succenturio superior oppidi Hajdudorog, Ludovicus Farkas, qui et iuratus Advocatus erat. Labor eius singulari amore plenus, indefessus animi ardor, longe lateque se expansum litterarum commercium effecit, ut communitates ecclesiasticae gr. cath. hungaricae in Civi-

tate Hajdudorog suprafata die per deputatos in congressum convenerint. Huic congressui participavere, aut scriptotenus adiunxerunt sese Ecclesiae sequentes:

1. E Dioecesi Munkácsensi: Ajak, Bácsaranyos, Biri, Bököny, Buj, Dámócz, Debreczen, Fábiánháza, Hajduböszörmény, Hajdudorog, Hodász, Hugaaj, Jánk, Kállósemjén, Kántorjánosi, Kisdobra, Kisvárda, Kótaj, Kökényesd, Levelek, Leleszpólyán, Máriapócs, Mezőzombor, Nagykálló, Nyirgebe, Nyirgelse, Nyirgyulaj, Nyirkarász, Nyirparasznya, Nyirpazony, Nyirpilis, Nyirtass, Ópályi, Sárközujlak, Szakoly, Szárazberek, Szatmár-Németi, Szerencs, Tiszabüd, Tokaj, Tolcsva, Tornyospálca, Ujfehértó, Visk. Universim 45 communitates ecclesiasticae.

2. E Dioecesi Eperjesensi: Abaujszántó, Falucska, Görömböly, Kassa, Pere. Universim 5 communitates ecclesiasticae.

3. E Dioecesi Magno-Varadinensi: Érkenéz, Kokađ, Krasznaszentmiklós, Makó, Nagyároly, Nagyléta, Porcsalma. Universim 7 communitates ecclesiasticae.

4. E Dioecesi Szamosujvárensi: Szatmár.

In congressu participaverunt ergo universim 58 ecclesiasticae communitates et uno omnium cum consensu decreverunt: sese in emolumentum ducentenis milibus fidelibus graeco-catholicis Hungaris erectionem separati Episcopatus hungarici et versionem in linguam hungaricam librorum liturgicorum ac, si revera necessarium esset, loco competenti impetrationem linguae hungaricae in gr. rit. cath. Ecclesia pro lingua liturgica sanctione, Maiestatem Suam Regem Ap., Principem Primatem Strigoniensem, Comitiam regni legislativa, omnesque iurisdictiones comitatenses supplicibus verbis esse oraturos. Ne vero petitio haec quacumque demum de causa, ad antecedentium modum seponatur, congressus cum sede Hajdudorog, praesidente Ludovico Farkas Succenturione superiori Executivam Commissionem Stabilem constituit, cuius membra electa sequentes erant: Georgius Szabó Archidiaconus Szabolcsensis et Parochus Hajdudorogensis; Stephanus Farkas incola Hajdudorogensis, Possessor agrorum et iuratus Advocatus; Igna-

tius Roskovics Parochus Nyirpilisensis; Alexander Farkas incola Hajdudorogensis; Ioannes Ketskés iur. Advocatus, incola Debreczinensis; Antonius Jámbor Parochus Bökönyensis; Iulius Orosz Curatus Hajduböszörményensis; Paulus Molnár incola Nagykállóensis, iuratus Advocatus; Stephanus Romzsa Cooperator Hajdudorogensis; Paulus Görög Cooperator Hajdudorogensis; Michaël Lázár Curatus Pazonyensis; Ioannes Kovács Iudex Tabulae Regiae, incola Hajdudorogensis; Georgius Fejér incola Hajdudorogensis, Subnotarius Civitatis; Franciscus Béres Curatus Ecclesiae Nagykállóensis, Protonotarius Comitatus Csanád; Emericus Fejérváry incola Makóensis; Emánuel Hajdu incola Nagykarolyensis, iuratus Advocatus; Ioannes Iványi Curatus Tornyospálcaënsis; Stephanus Fekete Curatus Kállósemjénensis; Demetrius Székely incola Hajduböszörményensis, Senator Civitatis; Antonius Mertse incola Debreczinensis; Franciscus Farkas Curatus Fábiánházaënsis; Alexander Kabay incola Nagylétaënsis, Curator Ecclesiae; Ioannes Novák incola Ujfehértóensis, Curator Ecclesiae; Andreas Tivadar Curatus Bácsaranyosensis; Alexius Benyitzky Curatus Krasznaszentmiklósensis; Carolus Mészáros incola Ungvárensis, iuratus Advocatus; et Ladislaus Mezösy incola Tolcsvaënsis, Possessor agrorum, ita ut inter membra stabilis huius commissionis omni tempore etiam membra ordinaria senatus gr. cath. Ecclesiae Hajdudorogensis accipienda sint. (Egy nemzeti küzdelem története. 47. 1.) Taliter composita stabilis haec commissio executiva non commorabatur munus multi laboris aggredi. Decreta congressus cum accomodatis propositionibus deputationaliter Budapestini Gubernio regni Hungariae, Comitibus regni, Strigonii vero Cardinali Principi-Primate exhibita sunt. Delegati ubique locorum horum perhumaniter sunt excepti ac meritum petitionis omni in foro agnitum est quidem, sed de die in diem magis magisque prominere illa iuris ecclesiastici postulata, quae impedimento erant, quominus perfectuata sit supralata exspectatio gr. cath. Hungarorum.

De gressibus hac in re positis Ludovicus Farkas Praeses

in conventu Commissionis Executivae die 15. Mart. a. 1871. habito reddidit rationes. Labor tamen assiduitate plenus anno sulommodo 1873. est effectum sortitus, quando nimirum Sua Maestas Ap. Regia Franciscus Iosephus I. suprema cum resolutione die 17. Sept. eiusdem anni pro graeco-catholicis fidelibus Dioecesis Munkácsensis Hungaris in Civitate Hajdudorog Vicariatum Foraneum Episcopalem erigi curavisset. Pro primo Vicario Foraneo item elapsis demum duobus annis, a. 1875. Ioannes Danilovics Canonicus Cancellarius Eccl. Cathedr. Munkácsensis denominatus est. Ad huius beneficii dotationem, tria milia scilicet florenorum e Fundo Religionis collata oppidum Hajdudorog 64 iugera agrorum est impertitum ac in medio oppidi aptum spatiosumque fundum intravillanum emit cum domo pretio 8000 florenorum.

Ex institutione Vicariatus Commissio Executiva summa laetitia est quidem affecta, sed in effectuantis decretis Congressus Regnicolaris nec in posterum operae pepercit. Rei agitatae studio singulos in dies detinebatur. E re illorum erat oblata se opportuna occasione ullusque uti, donec excitator praesesque commissionis Ludovicus Farkas in vivis esset.

Primi Vicarii Episcopalis Foranei momentuosissimum factum erat, quod illius praesidio delegati Assessores consistiorum Dioecesium Munkácsensis ac Eperjesiensis in oppido Hajdudorog a. 1879. versione partium liturgicarum perquam necessariorum in linguam hungaricam occupati, textus iamdudum usuatos emendarint illosque pro typis impressione praeparaverint. Membra commissionis huius erant: Ioanne Danilovics Canonico ac Vicario praesidente, Michaël Kotradó Canonicus Eccl. Cathedr. Eperjesiensis, Ignatius Roskovics Canonicus Eccl. Cathedr. Munkácsensis, Antonius Jámbor Canonicus tit. Eccl. Cathedr. Munkácsensis, Ioannes Hrabár Parochus Magyarkomjátensis, Ioannes Turjay Professor theologiae, Emanuel Fejér Parochus Hajdudorogensis, Bartholomeus Sass Catecheta in Gymnasio Eperjesiensi, Eugenius Fenczik Pa-

rochus Duszinaënsis, Iulius Orösz Parochus Hajduböszörményensis et Paulus Görög Parochus Bökönyensis.

Opera commissionis sub titulis: »Aranyszáju Szent János Atya Szent és Isteni Liturgiája, kiegészítve több oltári imával és egyházi énekkel.« Debreczini, 1882. »Görög Katholikus Egyházi Szerkönyv.« Debreczini, 1883. typis mandatum et promulgatum. Posterius opus a Ioanne Danilovics, simul cum Emiliano Melles confectum: »Szent Nagy Vazul Atya Szent és Isteni Liturgiája.« in publicum prodiit Debreczini 1889. — Hanc seriem explevit versio a Ioanne Danilovics sub titulo »Görög Szerartásu Általános Egyházi Énekeskönyv.« confecta, Debreczini 1892. Etsi opera haec absque permissu superioritatis ecclesiasticae in vulgus prodivissent, generatim tamen pro editionibus officiosis habebantur.

Episcopus Munkácsensis Basilius Popovics, prouti et successores eius Stephanus Pankovics, Ioannes Pásztyéji-Kovács, quemadmodum et in Sedem Episcopalem Eperjesiensem collocatus Nicolaus Tóth perspicuis e causis perbenevolam voluntatem tolerantiamque sunt contestati erga studia graeco-cath. Hungarorum, sed in authentisandas versiones manus inserere haud quiverant. Fora etenim ecclesiastica, quae a cultus divini hungarici in vitam gr. cath. ecclesiasticam inductione exclusivum suae nationalitatis dominatum pertimescebant, haud sunt cunctati nisum et agendi rationem fidelium Hung. usu iam excultam, ita, ac si haec protestantici characteris et tendentiae iudicium prae se ferret, Sedi Romanae iterum saepiusque denuntiare. S. Sedes Apostolica acceptis ex relationibus Episcopos interessatarum Dioecesium nonnunquam interdictoriis quoque ordinationibus instrui curavit. Episcopi vero interdicta haec plerumque familiariter communicavere cum Sacerdotibus. Liturgia hungarica stricto sensu sumpta hac de causa nec evolvi potuerat, sed linguis vetero-slavica et rumena adiunctis, porroquoque maiorem maioremque nacta est efficaciam iuxta analogiam Ecclesiae lat. rit. Hungaricae, ubi penes linguam liturgi-

cam latinam, lingua vernacula quoque in officiis divinis vulgo adhibitur.

Magno incremento erat cultui divino hungarico prolatio in publicum editionum supramemoratarum Hajdudorogensium. Auctae sunt hae a. 1882. cum libro evangeliorum et apostolorum pro diebus dominicis festivisque ab Emiliano Melles confecto. Idem mox cum lectionibus cultuum divinatorum postmeridianorum et horarum a. 1902. iterum editum est. Cum libro precum canticorumque Ignatii Roskovics iam memorato libri precum ab Emiliano Melles sub titulis »A dicséret áldozata« et »Jertek imádjuk Krisztust« concinnati saepenumero editionem assecuti sunt.

Annis posterioribus a re liturgiae et Episcopatus hungarici avocavit animosque fere unice praeoccupavit ibidem subsecutus et ab anno 1886. per decem annos distractus, multas controversias molitus motus, electionis nempe Parochi loci.

Motus hi illisque annexi eventus ecclesiasticae disciplinae contrarii magno erant detrimento morali reputationi illae eximiae, quam civitas colluctationes priorum decenniorum liturgicas ducendo est adepta. In hisce electionibus populus non quaerebat, quis esset idoneus ad uberiorem principiorum proximis decenniis depositorum explanationem, sed commoda privata agitationesque Simoniacae intraverunt animos. Intelligentia vero, haud secus inter calamitates electionis, proprio cum magistratu ecclesiastico dissentiens, ad Ecclesiae oppositos, ad alienae religionis assecclas, ad protestantium castra se conferebat. Magistratus civitatis, exterorum ductus consiliis, naturaliter rem liturgiae et Episcopatus hungarici, characterem stricto ecclesiasticum prae se ferentem haud satis oculis intēntis prosequi potuerat. Non est ergo mirum, quod partes tumultuosae breviter in certamen descenderint. Aggravata est conditio haec eo quoque, quod subsecuta anno 1895. Ioannis Danilovics morte, Vicariatus Foraneus per septem annos vacans sit permansus ad annum nimirum 1902., quado stallum

hoc Andreas *Lengyel* V. A. D. Parochus Nagykovácsensis nactus est.

Regnum hungaricum a. 1896. celebravit anniversarium subsistentiae suae millesimum. Hanc occasionem censebat Commissio Executiva Hajdudorogensis temporari aptam, postulata congressus a. 1868. habiti iterum resuscitare. Primo huius anni vere, ductore Paulo Farkas, Praeside commissionis, deputationem ex centum membris exstantem expeditur ad Episcopum Munkácsensem ac ad Principem-Primates, sicuti et ad membra Gubernii hung. atque ad regni Comitiarum Praesidem denuo precantes urgentesque effectuationem tam sanctionis usus liturgici, quam et erectionis separati Episcopatus. Sperata fausta dispositio non est insecuta. E contrario Sedes Romana in ordinatione de 2-a Sept. 1896. celebrationem cultus divini hungarici stricte interdixit. Interdictum hoc maioris erat momenti, quam similes dispositiones Sacrae Sedis prioribus annis iam in lucem prolatae. Cum supremo enim Suae Regiae Maiestatis indulto, in causa supramemorata, etiam ipsum Gubernium hungaricum praevenienter via diplomatica munus transactoris egit. Cum vero Sedes Sacra via Officii S. Congregationis ad competentes Episcopos decretum praescriberet, illo ipso tempore via diplomatica et Gubernium regni certior fecit, se linguae hungaricae locum dare in cultu divino haud esse propensam.

Res propediem confecta fuit, cum Gubernium hung. nuntiationem S. Sedis recognoverit et L. Bano De. iderius Bánffy, tunc Praeses Ministerii in conventu ablegatorum Curiae die 5-a Sept. a. 1896. declaraverit: »In sinu Gubernii constitutum et decretum est ad assequendum propositum, quaestioni erectionis Episcopatus anteponebam esse diiudicationem linguae hungaricae quaestioni, quam haud impossibilem putat, imo e sua parte omnibus votis exspectat.« In interesse separati Episcopatus gr. cath. hung. erectionis idem Gubernium finem inposuit inceptis studiis. Tali modo liturgiam hungaricam S.

Sedes Romana, Episcopatum hungaricum vero Gubernium hung. pro re impossibili declarare et causa gr. cath. Hungarorum profecto in impervium angustum delata est. (A gör. kath. magyarság utolsó kálvária-utja. Pag. 164—165.)

Quae cum ita fuerint, Episcopus Eperjesiensis Dr. Ioannes Vályi et Eppus Munkácsensis. Iulius Firczák effectuationi S. Sedis ordinationis resistere non poterant. Adversarii liturgiae hungaricae superiores sunt facti et praeceptum editum est usum idiomatis hungarici in cultu divino peragendo gradatim quidem, prorsus tamen esse intermittendum ac loco illius linguae vetero-slavicam et rumenicam in statum priorem exclusivumque esse collocandas.

In hoc cultus divini hungarici discrimine fideles provinciarum regni oculos fiduciamque ad communitatem ecclesiasticam gr. cath., quae tunc in Metropoli Budapest coepit organizari, coniecerunt. Sortis suae meliorationem sperabant expectabantque, intelligentiam ibidem haud exiguo cum numero consistentem nobilibusque gradibus constitutam se in bene ordinatam aciem esse collocaturam.

Probi moderatores communitatis ecclesiasticae gr. cath. Budapestinensis, huic expectationi congrue, die 20-a Iunii a. 1898., praesidente *Eugenio Szabó* Membro Curiae Magnatum constituerunt cum sede Budapest Commissionem Regnicolarem Graeco-Catholicorum Hungarorum.

Scopus commissionis in programme sub puncto primo sequenti modo definitur: »Propositum Commissionis Regnicolaris: conservare et confirmare usum linguae hungaricae in cultu divino graeco-catholico, eximere eandem ex hucadusque fere centum per annos durante statu tolerato et hoc fine intercedendum, ut ritus hungaricus legalem agnitionem ac adaequatas normas consequi valeat ubique locorum, ubi hoc numerus gr. cath. Hungarorum et emolumentum religionis exposcularent, absque omni respectu, in cuiusnam Dioeceseos territorio vivant hi.« (Emlékkönyv, pag. 101.) Prouti hoc ex programme patet, Commissionem Regnicolarem, consonanter co-

gnito Gubernii regni consilio, laborem non in erectionem novae Dioecesis impendisse, ast solum legitimationi cultus divini hungarici et liturgiae hungaricae studuisse.

Uti activitas Commissionis Executivae Hajdudorogensis Stabilis et adepti successus prosperi primo illius Praesidi, Ludovico Farkas debent attribui tali modo et clari successus a Commissione Regnicolari Budapestinensi obtenti, Praesidem Eugenium Szabó, eiusque indefessum laborem, assiduitatem et paratum ad sacrificia ferenda animum laudant.

Commissio Regnicolaris ultimis anni 1898. diebus publicans programma suum, fideles gr. cath. Hungaros ad iungendam cum ipsis communionem provocavit. In his litteris invitatoriis iam edixit: »Ad assequendum finem nostrum necesse est nos Romam proficisci. In persona oportet nos obsequium reverentiale Solio Suae Sanctitatis contestari. Praesentibus nobis convenit exorare, ad adipiscendum agitationis et propositi nostri supremum eius patrocinium.« (Emlékkönyv, pag. 11.)

Proclamatio Commissionis Regnicolaris plenum successum est consecuta, in quantum programmati eius,

1. e Dioecesi Munkácsensi 77 Matres Eccl. cum 100300 animis,

2. e Dioecesi Eperjesiensi 26 Matres Eccl. cum 24141 animis,

3. e Dioecesi Magno-Varadinensi 6 Matres Eccl. cum 5275 animis,

4. e Dioecesi Szamosujvárensi 1 Mater Eccl. cum 1033 animis,

5. e Dioecesi Strigoniensi 1 Mater Eccl. cum 2752 animis,

6. e diversis regni partibus 576 animae. Universim 111 Matres Eccl. cum 134527 animis se adiunxere.

Peregrinationem Romanam Commissio Regnicolaris in appropinquantem annum 1900. iubilarem procrastinans et haec Budapestino die 4-a Martii iter ingrediens, die 6-a Martii Romam advenerat et diebus 7., 8., 9. mensis eiusdem ibidem

expletis, 10-a Martii domum reversa est. Numerus illorum, qui peregrinationis de facto fuerant participes, ad 461 excrevit. Ductu Dris Ioannis Vályi Eperjesiensis et Iulii Firczák Munkácsensis Episcoporum partem peregrinationis capessivere e Dioecesi Munkácsensi 46, e Dioecesi Eperjesiensi 21 viri ecclesiastici. Ex intelligentia saeculari praeside Eugenio Szabó peregrinationem susceperunt 79 viri et 17 herae. Peregrinantes Sua Sanctitas *Leo XIII.* in Capella supra navim Basilicae S. Petri sita »Aula della Beatificazione« nuncupata die 9. Martii circa 12. horam meridianam benigne excepit. Commissio Regnicolaris folia, accessorias fidelium subscriptiones continentia in libro praeclare exornato coadunavit ac hunc una cum memorando, argumenta inductionem liturgiae hungaricae urgentia et comprobantia complectenti, mediante Doctore Ioanne Vályi Episcopo Eperjesiensi, occasione solemnium audientiae, concomitante sermone salutario Suae Sanctitati exhibuit. Dr. Ioannes Vályi Episcopus in sermone suo gratulatorio peregrinantium petitionem interpretatus est sequenti modo:

»Hac solemnium occasione nos ad pedes Sanctitatis Vestrae profundissime provoluti non dubitamus libellum memorialem opera Commissionis Regnicolaris Hungaricae adornatam, in quo humillima petitio de usu linguae hungaricae apostolica auctoritate in sacra liturgia concedendo continetur, nomine praesentium peregrinorum et absentium, qui universim plus quam ducenta milia numerantur, graeci ritus Catholicorum Hungarorum Sanctitati Vestrae filiali homagio praesentare, atque eundem libellum ad altissimam Beati Petri Principis Apostolorum Cathedram deponendo, ardentissimis Sanctitatem Vestram precibus exorare, ut libelli huius rationum momenta benigne respicere, tot Christifidelium spiritualibus indigentis paterne succurrere, iusta eorum vota et desideria clementissime exaudire, atque usum linguae hungaricae in cultu divino summa apostolica auctoritate adprobare et sanctificare velit.«

Programmati Commissionis Regnicolaris sequentes ecclesiae parochiales se adiunxere:

I. e Dioecesi Munkácsensi:

1. e Comitatu Szabolcs: Ajak, Bácsaranyos, Balsa, Biri, Bököny, Buj, Gelse, Gyulaj, Hugyaj, Kállósemjén, Karász, Kisléta, Kótaj, Levelek, Máriapócs, Nagykálló, Napkor, Nyiregyháza, Nyirbakta, Nyirlugos, Nyirmada, Nyirpilis, Oros, Övencsellő, Pazony, Piricse, Tass, Timár, Tiszabüd, Tornospálca. 31.

2. E Comitatu Zemplén: Bodrogolaszi, Bodrogszerdahely, Dámóc, Kisdobra, Leleszpólyán, Mezőzombor, Sárospatak, Sátoraljaujhely, Szalók, Szerencs, Tokaj, Tolcsva, Zemplénagárd, Kistoronya, Szürnyeg. 15.

3. E Comitatu Hajdu: Hajduböszörmény, Hajdudorog. 2.

4. E Comitatu Szatmár: Derzs, Gebe, Fábiánháza, Hodász, Jánk, Nagydobos, Nagypeleske, Nyircsászári, Ópályi, Parasznya, Sárközujlak, Szárazberek, Szatmár-Németi. 14.

5. E Comitatu Ung: Csicsér, Mátyás, Palágy, Konczháza, Sislócz. 5.

6. E Comitatu Ugocsa: Bökény, Kökényesd, Tiszaujlak, Turterebes, Salánk, Forgolány, Gődényháza. 7.

7. E Comitatu Bereg: Beregszász, Balazsér, Nagybégány. 3.

II. E Dioecesi Eperjesiensi:

1. E Comitatu Abauj-Torna: Abaujszántó, Baskó, Boldogkőváralja, Csobád, Garadna, Homrogd, Kassa, Kéty, Oroszadna, Szeszta, Szigetbölzse, Szolnok, Ujváros, Falucska, Rakaczszend. 15.

2. E Comitatu Borsod: Felsőszolca, Görömböly, Hejőkeresztur, Mucsony, Sajópálfala, Sajószöged, Viszló, Ládbesenyő, Felsőtelekes. 9.

3. E Comitatu Zemplén: Vily et Vitány. 2.

III. E Dioecesi Magyo-Varadinensi: Makó, Nyiracsád, Nagy-károly, Porcsalma, Csegöld, Nagyvárad. 6.

IV. E Dioecesi Szamosujvárensi: Szatmár. 1.

V. E Dioecesi Strigoniensi: Budapest. 1.

Duplo maior est ergo numerus harum communitatum ecclesiasticarum numero earum, quae anno 1868. congressu Hajdudorogensi per deputatos intererant.

Elogium Sacrae Sedi Apostolicae exhibitum, qua Praesidentes graeco-cath. Hungarorum Commissionis Regnicolaris subscripserunt:

Praeses: Eugenius Szabó, Membrum Curiae Hung. Magnatum.

Socii in praesidio: Paulus Farkas Possessor agrorum, — Dr. Alexander Leövey Consiliarius Ministerialis, Iudex Fori Supremi Administrativi rerum publicarum administrandarum, — Eugenius Illés Iudex Curiae Reg. — Ioannes Pásztélyi Iudex Curiae Reg. — Michaël Medvigy Tabulae Reg. Senatus Praeses.

Vice-Praesides: Iulius Andor Consiliarius Praesidio Reg. Comitiarum, — Eugenius Pásztélyi dr. Advocatus fori utriusque iuratus, — Ignatius Roskovics Artifex Pictor.

Praesides commissionis localis Comitatus Szabolcsensis: Stephanus Fekete Archidiaconus, — dr. Georgius Küzmös Protonoticus Comitatus, — Andreas Lengyel Vicearchidiaconus.

Praesides commissionis localis Comitatus Hajduënsis: Ladislaus Vargha, Andreas Ujhelyi Parochi.

Praesides commissionis localis Comitatus Borsodensis: Andreas Hodobay Vicearchidiaconus, Paulus Szaffka Notarius Reg. publicus.

Praesides commissionis localis Comitatus Szatmáriensis: Emilianus Melles Archidiaconus, Colomannus Somlyay pens. Consiliarius Civitatis Saltuarius.

Praeses commissionis localis Comitatus Abauj-Tornaënsis: Stephanus Kovaliczky pens. Iudex Tribunalis.

Praeses commissionis localis Comitatus Zemplénensis: Ba-